



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

17. Quid de illorum, qui vel ex ignorantia veræ formæ baptismi vel nimio timore contagij præcipitanter baptizant in nomine Dei, vel Christi, vel SS. Trinitatis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

Quid de illorum, qui vel ex ignorantia vera for-
ma baptisimi, vel nimio timore contagij
præcipitanter baptisunt in nomi-
ne Dei, vel Christi, vel Ss.
Trinitatis.

Quæstionis explicatio.

Magna est vulgi mysteriorum nostræ
fidei ignoratio, ut pauci sint, qui si
eos roges, quæ sit baptizandi formula, illa
disertis verbis, sicut scire necessum est, ex-
primere possint: quotusquisq; enim est, q
existimet, deberi in ea explicite recitari no-
mina Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S.
quod tamen necessum esse cõiter oēs The-
ologi sentiunt, ex illis verbis (a) Christi
*Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in no-
mine Patris & Filij & Spiritus S.* Illud a. in no-
mine, non tantum significat baptismum dandum
in virtute aut fide Trinitatis, q; quibusdam
videri posset, sed etiam baptismum dandum
esse nominando, & voce inuocando Patrem
& Filium & Spiritum sanctum; quonia eo lo-
co intendebat Christus docere non solum
preceptum, sed etiam modum & ritum ba-
ptizandi, ut docent plerique omnes Pa-
tres (b) & Ecclesia semper intellexit: Qua-
propter merito quaeritur, quid sentiendum
de

a. *Matth. 28.*

b. *Leo Papa
ep. 4 c. 5. A-
than. serm. 3
cont. Arian.
Chryf. hom.
16. in epistol.
ad Romanos*

de modis baptizandi, quibus expressa Trinitatis mentio præmittatur.

Responsio.

PRIMO, hi duo modi baptizandi: baptizo te in nomine Dei vel SS. Trinitatis, non exprimendo nomina Patris & Filii & Spiritus sancti, sunt reprobandi tanquam nulli & falsi, utpote quibus ne dubius quidem fiat baptismus: Et consequenter si qui illis modis baptizati reperiantur, non sub conditione, sed simpliciter & absolute rebaptizari debent: Est communis assertio Theologorum. Ratio eorum est, quia in baptismo fit professio fidei, idcirco enim à Patribus. (a) baptismus vocatur sacramentum fidei: sed in lege euangelica explicite fides Trinitatis Patris & Filii & Spiritus S. est ad salutem necessaria: Oportet ergo, ut in eo fiat expressa professio Trinitatis, quæ est primum obiectum & fundamentum totius fidei, nec non principalis causa tam ipsius baptismi, quam omnium mysteriorum nouæ legis; hæc autem professio non reperitur, quando baptismus datur in nomine Dei, quia sicut fides de Deo absolute & simpliciter non est fides explicita Trinitatis; ita professio Dei absoluta non est professio Trinitatis explicita, prout ad baptismum est necessaria: Et idem dicendum, dum baptif-

*a Innoc. in a.
Debitum, de
baptismo, &
August. epist.
103.*

M 4 mus

mus datur in nomine Trinitatis, non exprimendo discrete Patrem & Filium, & spiritum sanctum, quia sicut fides Trinitatis simpliciter non est fides explicita Patris & Filii & Spiritus sancti: ita professio absoluta Trinitatis, non est professio Trinitatis explicita. II. Modus baptizandi in nomine Christi ordinarie reprobari debet, quia dubius est, sunt enim utrinque & pro valore & contra valorem illius rationes probabiles: Itaque si quis forte hoc pacto baptizatus fuerit, rebaptizari debebit, non simpliciter sed sub conditione.

Dices: Quid si quis baptizando exprimat quidem nomina Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti sed loco illius, *in nomine*, dicat in virtute?

R. Peccabit graviter: quavis enim forma illa videatur valida, puta, quia res significata per illa duo vocabula, *in nomine*, & *in virtute*, videtur esse eadem, tamen non caret dubitatione, quia illae voces non sunt omnino synonymae; nam illud, *in nomine*, plus complecti videtur, quam si dicas, *in virtute*, hoc enim totum illa voce comprehenditur, & propterea invocatio, & professio fidei unius Dei atque Trinitatis, ut ante obiter diximus. Itaque si quis hoc pacto baptizatus fuisset, deberet rebaptizari sub conditione. Ex quibus omnibus non
obscu:

obscure colligunt pastores magna cura & sollicitudine hoc apud populum suum agendum, ut singuli, quoad fieri potest, intelligant necessitatem non solum baptismi, sed & cognitionis istius formæ, & singulorum verborum eiusdem: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

QVÆSTIO XVIII.

Quid de illorum, qui mortuum iam infantem baptizant trina asperzione, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, faciendo vnam asperzionem, & Filij, faciendo secundam, & Spiritus S. faciendo tertiam?

Quæstionis explicatio.

NON querimus hic quibus modis debeat fieri ablutio baptismi, an per immersionem, an per asperzionem, an per vnam, an per trinam siue immersionem, siue asperzionem: hæc ex professo disputantur à Theologis apud D. Thomam in Summa, ubi omnes docent indifferenter fieri posse abluionem baptismi, & ab Ecclesia aliquando vno modo, aliquando altero, pro ratione diuersa temporum, locorū & aliarum circumstantiarum vsitatam fuisse, ut patet ex B. (a) Gregorio & aliis. Sed particulatim

alib. i. Epistolar. epistol. 41. & Conc. Toletan. 4. can. 5.

M 5 quæri-